

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8447

Auteur(s) : Innocent III [pape]

Bénéficiaire(s) : Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1204, 29 janvier

Lieu d'émission : Anagni

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Autre bulle d'Innocent III, pape.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, Appendix, n° VI, p. 592-593.

Texte établi d'après a

Innocentius Episcopus, Servus servorum Dei.

Venerabilibus fratribus Rothomagensi archiepiscopo et suffraganeis ejus, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis et aliis Ecclesiarum Prelatis in Rothomagensi Provincia constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus, et audientes mirati sumus quod cum dilectis filiis Abbati et Conventui de Trapa, Cisterciensis Ordinis a Patribus et prædecessoribus nostris concessum sit, et a nobis ipsis postmodum indultum et etiam confirmatum, ut de laboribus quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, nemini Decimas solvere teneantur, quidam ab eis nihilominus, contra apostolicæ Sedis indulgentias, Decimas exigere et extorquere præsumunt, ex prava et sinistra interpretatione apostolicorum Privilegiorum capitulum pervertentes, asserunt de novalibus debere intelligi, ubi noscitur de laboribus esse scriptum. Quoniam igitur manifestum est omnibus qui recte sapiunt interpretationem hujusmodi perversam esse et intellectui sano contrariam, cum secundum capitulum illud a solutione Decimatuum, tam de terris illis quas deduxerunt vel deducunt ad cultum quam de terris etiam cultis quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, liberi sint penitus et immunes, ne ullus contra eos materiam habeat malignandi, universitati vestræ per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus omnibus Parrochianis vestris auctoritate apostolica prohibere curetis, ne a memoratis fratribus de novalibus vel de aliis terris quas propriis manibus vel sumptibus excolunt, seu de nutrimentis animalium, ullatenus Decimas præsumant exigere, vel quomodolibet extorquere.

Quia vero non est conveniens vel honestum ut contra Sedis apostolicæ indulgentias temere veniatur, quæ obtinere debent inviolabilem firmitatem, mandamus vobis firmiterque precipimus, ut, si qui Monachi, Canonici, clerici vel laici contra Privilegia Sedis apostolicæ memoratos fratres super Decimarum exactione gravaverint, Laicos excommunicationis sententia percipientes, Monachos, Canonicos, sive Clericos contradictione, dilatione, et appellatione cessante, ab officio suspendatis, et tam excommunicationis quam suspensionis sententiam faciatis usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari.

Ad hæc præsentium vobis auctoritate, præcipimus, quatinus si quis eorumdem Parrochianorum vestrorum in sæpedictos fratres violentas manus injecerit eum, candelis accensis excommunicatum publice nuntietis, et tanquam excommunicatum faciatis ab omnibus cautius evitari, donec eisdem fratribus congrue satisficiat, et cum litteris Diocesani Episcopi, rei veritatem continentibus apostolico se conspectui representet.

Datum Anagninæ IIII° Kal. februarii Pontificatus nostri anno sexto.